



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

11 Vtrum causa efficiens aliquid efficiendo corrumpat aut destruat, &
quomodo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

effectus nunc dependere ab hac causa, & postea ab alia, & ita potest variari in illo dependentia circa eundem effectum, & tunc nihil aliud variatur quam causalitas agentis, de qua distinctione actionis à termino nonnulla in superioribus erigimus, & dicemus plura in sequentibus, partim tractando de creatione, partim inferius tractando de actione & passione. Quod si nomine effectus comprehendamus non solum rem productam, sed quidquid à virtute agentis manat, sic concedimus actionem esse aliquo modo effectum agentis, cum sit dependens vel potius ipsamet dependentia ab illo: esse autem effectum hoc lato modo non repugnat causalitati: quin potius in omnibus causis quas hactenus tractauimus, causalitas est effectus causæ, vno enim est effectus formæ, acque etiam materiæ in suo genere; & est causalitas viri usque secundum diuersas habitudines. Et ratio generalis est, quia causalitas semper provenit à causa, & ideo licet non propter se causetur, concusatur tamen, ideoq; late loquendo sub effectu comprehenditur. Nec vero propterea necesse est, vt causalitas alia causalitate causetur, aut actio alia actione fiat, quia de ratione causalitatis est vt habeat immediatam habitudinem ad causam, & sit quasi medium aut vinculum inter causam & effectum. Atque ita comparatur actio ad suum terminum, & ad principium seu causam efficientem à qua manat: ipsa vero actio non manat media alia actione, alias procederet in infinitum, sed actio est ipsamet emanatio: sicut terminus motus fit per motum; ipse autem motus non fit per alium motum, quia est ipsamet via ad terminum. Ex quo fit (vt ad secundum argumentum respondeamus) impossibile esse vt cessante vel transacta actione duret causa in actu: potest quidem durare res quæ fuit causa in actu, non tamen durabit in ratione actu causantis, cum actu non influat in effectum: unde nec talis effectus potest vere dici iam actum pendere à tali causa, sed dependisse aliquando in suo fieri: quam dependentiam non habuit nisi ratione actionis, quæ tunc etiam fuit, quando à sua causa manauit.

IX. Ad argumenta posteriori loco posita negamus causalitatem agentis debere aut posse esse modum intrinsecum ipsius agentis, distinctum ab actione, quæ ab agente manat, & est in termino ipso, vel in passio. Quod in naturalibus agentibus quæ agunt sola actione transeunte, videtur manifestum: quia illa non mutantur, neq; aliquid acquirit ex eo quod agant. Neque est vlla necessitas fingendi talem modum, cum actio sit sufficiens vt effectus manet à suo agente. In his vero quæ agunt actione immanente, si nihil aliud agant quam ipsummet actum immanentem, etiam est manifestum, in facultate agente non esse alium intrinsecum modum distinctum ab ipso actu, vel actione immanente, qui sit causalitas talis actus: nam ipsamet actio immanens immediate manat à suo principio: & quidquid aliud addatur tanquam medium inter potentiam in actu primo sufficienter constitutam & actionem, erit gratis confectum, & sine necessitate; & præter omnem communem doctrinam quæ in his potentiis non cognoscit nisi aut actus ipsos, seu actiones & principia earum, quæ sunt vel species, vel habitus. Et in voluntate nihil est actuale in quo primo exerceatur libertas voluntatis, nisi actio elicita ab ipsa voluntate: illa ergo est causalitas effectiua talis potentie. Quia tamen res quæ fit per talem actionem, manet in ipsa potentia, ideo talis actio est modus efficiens causam agentem, non quia hoc fit de ratione causalitatis agentis vt sic. In iis denique quæ per actum immanentem aliquid extra se agunt, videri potest, causalitatem qua talis causa extra se agit, esse actum vel modum in illa manentem, tamen reuera non est, quia ille actus qui manet in tali causa, non est formalis causalitas quæ constituit rem actu causantem extra se; sed est aut proximum

principium agendi, aut applicatio principij proximi à quo oritur causalitas. Quod videlicet in Deo ipso, qui maxime agit ad extra per actum in se manentem: nam cum hic actus in Deo sit æternus & immutabilis, actualis tamen eius causalitas in tempore ponitur: quia Deus non actu causat, donec effectus fiat: & ideo talis causalitas non potest esse aliquid in ipso Deo, qui mutari non potest, sed in creatura, quæ fit aut mutatur. Nunquam ergo causalitas agentis est modus intrinsece efficiens ipsum agens vt sic.

Nec vere necesse est vt in hoc sit omnimoda similitudo inter omnes causas: quia non est omnium eadem ratio, causæ enim materiales & formales sunt intrinsecæ: causa vero efficiens ex suo genere est extrinseca. Et comparando inter se materiam & formam, hæc est quodammodo magis intrinseca, quatenus est magis propria, & determinans materiam efficiendo illam. Et ideo inter causalitates harum causarum est quædam proportionalis dissimilitudo. Nam causalitas formæ est modus intrinsecus, & in re idem cum forma, causalitas autem materiæ potest dici intrinseca, quatenus est intime in ipsa materia: non est autem modus ita identificatus illi sicut formæ: causalitas autem agentis per se est extrinseca: & tam distincta ab agente, quam ipse effectus: quod si interdum in agente manet, aut ab eo non realiter sed tantum modaliter distinguitur, id est accidentarium ad rationem agentis vt sic: prout itq; vel ex eo quod agens simul est patiens, vel ex eo quod res quæ fit, non est omnino distincta ab agente, sed modus eius.

Ad primam confirmationem negatur assumptum, nam etiam in creatione causalitas consistit in actione; vt argumentum paulo antea factum ostendit, nam cum illa causalitas temporalis sit, non potest consistere in modo intrinseco agenti: ergo debet consistere in actione extrinseca: qualis autem sit illa actio, & in quo subiecto, dicemus postea.

Ad secundam confirmationem respondetur argumentum illud retorqueri posse in contrarium: nam vbicumque est vna causa formaliter, id est vna causatio, ibi est vna actio, & è contrario vbi multiplicatur actiones, multiplicatur etiam causalitates: signum ergo est hanc causalitatem in actione consistere. Quocirca, si generatio ignis sumatur vt includit alterationem præcedentem & generationem substantialem: fatemur quidem illas esse duas actiones, tamen eodem modo sunt duæ causalitates: si vero sit sermo de sola causalitate substantiæ, negamus ibi esse plures actiones, sed est vna & eadem, qua & fit totum compositum, & educitur forma de potentia materiæ, & vnitur illi, nam in his omnibus solum denotantur plures habitudines, quas eadem actio habet ad suum subiectum, vel ad terminum formalem aut totalem, in generatione autem hominis peculiari ratione distinguitur actio productiua formæ ab vniuiua (quidquid aliqui dicant) quia illa forma non pendet à materia vt à propria causa suæ productionis, pendet tamen in vniione: actio autem qua forma vnitur & compositum fit, non est distincta: quia compositum non potest aliter fieri, quam vniendo formam materiæ.

X.

XI.

XII.

Legi Scoti
7. Metaph.
9. 10. &
10. Andr. q.
4. Socin. q.
13. Zimar.
1. theori. 100
Durand in
2. d. 1. q. 4.
ad 2. sim.

SECTIO XI.

Verum causa efficiens aliquid efficiendo corrumpat aut destruat, & quomodo.



I nomen ipsum causæ efficientis attente consideretur, non videtur significare causam quæ tollit esse, sed quæ dat esse: & ideo in omnibus quæ hactenus de hac causa diximus, solum expli-

I.

explicemus causalitatem huius causae quatenus dat seu influit esse: quia vero Philosophi ita communiter loquuntur de causa efficiente, ut non solum censent efficiere rerum generationes, sed etiam corruptiones, quod non est dare esse sed potius tollere, ideo ad complementum huius disputationis necesse est ut de hac etiam re pauca dicamus, & explicemus an haec etiam vera efficientia sit, & qua causalitate, ac virtute fiat.

II. *Varij modi rei destrui di.*

Advertendum est ergo dupliciter posse rem aliquid quam corrumpi, seu delinere esse: prima, quia non esse unius rei consequitur ex esse alterius. Secundo, quia res absolute priuatur suo esse quali immediate & absque consecutione ex alio esse. Priori modo corrumpitur lignum, quando ex illo generatur ignis, quia esse ligni non potest simul esse in eodem cum esse ignis. Posteriori autem modo corrumpitur lumen in aere per absentiam Solis: nullum enim esse introducit in aere repugnans cum esse lucidi, sed simpliciter perit illa forma recedente causa conseruante. Quamquam etiam ipsum esse Solis in alio hemisphaerio dici potest naturaliter impossibile cum esse luminis in aere huius hemisphaerii: sed illud est valde remote, extrinsece, & per accidens: propter defectum conditionis necessariae ad agendum, & non propter repugnantiam, quae intrinsece, & per se sit inter lumen & vbi.

Resolutio questionis.

III. *Actio est positiua non quam dicitur esse destrui.*

Hoc supposito, duo principia videntur certa: primum est corruptionem ac defitionem rei nunquam fieri per efficientiam positiuam & propriam, nisi quatenus carentia alicuius esse consequitur ad effectiorem seu positionem alterius esse. Probatur, quia positiua efficientia solum sit per positiuam actionem: actio autem positiua immediate ac per se non tendit ad non esse: ergo non potest per illam positiuam effici corruptio, aut destructio alicuius rei, nisi quatenus per illam sit esse alicuius rei, cum quo necessario coniunctum est non esse alterius. Maior probata est sectione praecedente, & ex ipsis terminis idem constat, nam efficientia & actio idem sunt, sicut efficiens & agens. Minor probatur, tum quia actio realis seu positiua (idem enim sunt) necessario tendit ad terminum realem, ut infra suo loco ostendetur, & in transeuntibus a nemine negatur: terminus autem realis aliquod reale esse recipit per actionem: ideo enim est terminus eius. Vnde etiam qui negant realem terminum in actionibus immanentibus, negare non possunt quin ipsamet actio quatenus positiue sit, aliquod esse reale accipiat a sua causa efficiente. Quod si per illam actionem aliquid immediate corrumpitur (id est, absque alterius termini, vel rei productione) solum est in quantum esse illius actionis, quodcumque illud sit, impossibile est cum alio esse quod destruitur. Est ergo in vniuersum verum, per efficientiam positiuam nihil immediate destrui, sed solum consequenter ad aliud esse, quod per actionem fit: quae consecutio semper fundatur in aliqua repugnantia talium rerum. Et confirmatur ex illo vulgari axioma, quod nullum agens intendens ad malum, operatur; ipsum autem non esse ut sic habet rationem mali: nunquam ergo positiua efficientia per se tendit ad non esse, sed ad aliquod esse, ex quo aliud non esse consequitur.

IV. *Obiectio dissoluitur.*

Dices, quamuis hoc sit verum in agentibus naturalibus, non tamen in voluntariis: potest enim Deus velle aliquid non esse non ut aliud sit, sed solum ut illud non sit: & vnus homo saepe hoc modo intendit alterius mortem: vnde in artificialibus per se primo tendit saepe actio ad destructionem. Respondetur, licet agens voluntarium per se possit intendere destructionem rei: non tamen posse illam exequi & efficere per actionem: quae ex se primario tendat ad non esse,

propter rationem superius tactam. Vnde etiam Deus ipse, dum aliquam rem vult destruere, aut id obtinebit per solam suspensionem influxus absque positiua actione, vel si positiua actione vti velit, necessario facturus est aliquid, ex quo talis corruptio sequatur. Homo autem, qui non potest rem destruere per solam suspensionem influxus, eo quod res ab ipso non pendet in suo esse, vixit semper actionibus, quae communiter non sunt nisi mutationes locales corporum, quae ad suos proprios terminos directe ac per se tendunt: & inde per accidens sequitur corruptio vel destructio, quae licet sit per se intenta quoad extrinsecam intentionem agentis, per accidens tamen seu consequenter, sit per talem actionem.

Secundum principium est: Quando alicuius rei definitio non consequitur ad positiuam effectiorem alterius, sed per se sola sit, non sit per efficientiam propriam, sed per carentiam efficientis. Hoc principium sequitur ex praecedente, quia actio positiua non est nisi ad aliquod esse positiuum: ergo, dum nullum esse communicatur, non potest actio positiua interuenire, in hoc autem genere definitionis & corruptionis nullum esse communicatur, sed solum auferatur: ergo non potest fieri per veram actionem: ergo necessario fieri debet per carentiam actionis, quia non potest interuenire alius modus causalitatis, qui ad efficientem causam pertineat. Dices, hoc genus causae tantum videri per accidens: qualis est illa quae remouet causam per se: at vero huiusmodi causa corruptionis non tantum est per accidens, sed per se: ergo non tantum est per absentiam causae, sed per propriam efficientiam. Minor patet, tum ex Aristotele dicente quod sicut praesentia naturae est causa conseruationis naui, ita absentia esse causam submerisionis eius: tum etiam, quia non potest ille effectus in causam magis propriam ac per se renouari. Et in hoc fundari videtur illud commune axioma, si affirmatio est causa affirmationis, negatio erit causa negationis: quod in causis propriis per se & adaequatis maxime notum est. Respondetur, ex hoc ipso axioma colligi causam per se corruptionis (si tamen aliquam habere potest) non esse quarendam positiuam agentem, sed non agentem potius, cum causa debeat esse proportionata effectui. Vnde in illo etiam exemplo Aristotelis absentia nauis non est causa agens, sed potius non agens. Quare, si ad submerisionem nauis comparatur quatenus quidam effectus positiuus est, solum est causa per accidens eius, vere ac physice rem considerando, licet moraliter & imputatiue censeatur per se, si tenebatur adesse: si vero comparetur solum ad carentiam auxilij, seu defensionis nauis, huius negationis poterit altera negatio dici causa per se: habent enim inter se proportionem, & intrinsecam ac immediatam consecutionem. Ad hunc ergo modum, si causa per se influebat esse, & influxum auferat, dicitur causa per se definitio talis esse, non quia positiua actione efficiat defitionem, sed quia proportionato modo est proprium principium & origo talis defitionis. Vnde sicut priuatio dicitur esse non per positiuum esse, sed per carentiam esse, ita dicitur fieri non per positiuam actionem, sed per carentiam actionis. Et eadem proportione causa efficiens per se eius non dicitur talis, quia positiue illam efficiat, sed quia tollit influxum, quo per se causabat illud esse, quod per talem corruptionem destruitur. Quin potius omnis causa, quae positiue efficiendo, destruit aliud, ut sic, sed quatenus efficiens est, non est causa per se, sed per accidens destructio alterius.

Corollaria superioris doctrinae.

EX his principiis possumus nonnulla notatu digna inferre circa rerum mutationes vel corruptiones. Primo enim sequitur, in omni corruptione

seu amissione alicuius esse realis interuenire aliquā mutationem, non vero semper necessario interuenire aliquam actionem. Pater ex secundo principio posito, adiuncta definitione mutationis. Nam teste Aristotele mutatur res, quando se res aliter habet quā prius: quando ergo aer ex illuminato fit tenebrosus, mutatur: igitur in eo aliqua mutatio: & tamen illa non fit per actionem, vt constat ex secundo principio posito, est ergo ibi mutatio sine actione, & idem est in omnibus similibus. Ratio autē est, quia illa mutatio est pure priuatiua, non positiua. Quo fit, vt hoc tantum cōingat in mutationibus accidentalibus si proprie & secundum communem cursum naturæ de mutatione loquāmur: quia subiectum accidentis potest interdum amittere illud, etiam si aliud nō acquirat: subiectum autem substantialis formæ non potest substantialiter mutari amittendo vnā formā quin acquirat aliam. Et ideo dixi, *proprie & secundum communem cursum naturæ de mutatione loquendo*: Nam Deus posset suspendere influxum formæ substantialis conferuando materiam; vel si mutationis nomen ad annihilationem extendatur, posset omnino rem mutare ab esse ad non esse absque vlla actione. In quo est etiam notanda differētia inter causas liberas, & naturales, quod causæ libere possunt suspendere suum influxum ex intrinseco dominio ac potestate absque vlla priori actione vel mutatione in se vel in alio: ita etiam possunt causare hanc mutationem priuatiuam, vel in se ipsis, si mutabiles ipsæ sint: vt causæ creatæ; vel in aliis, vt Deus: causæ autem naturaliter agentes non possunt suspendere suum influxum: nisi aliquid aliud prius mutetur, quod erat necessarium ad agendum: & ideo licet interdum mutant aliquod subiectum prædicto modo sine actione circa illud, semper tamen interuenit aliqua alia actio, vel circa idem subiectum, vel circa aliud, vt Sol non destruit lumen in aere per abstractionem influxus, nisi antecedar actio, qua vel Sol ipse mouetur, vt fenestra clauditur, &c.

VII. Secundo sequitur ex dictis, quoties corruptio vel defectio rei fit per actionem positiuam, quæ ex se habeat consequenter causare talem corruptionem, necessarium esse vt talis actio fiat ex præsupposito subiecto. Ratio est, quia corruptio aut defectio non fit ex vi actionis Physicæ (sic enim loquimur) nisi quia illud esse quod fit per talem actionem, habet naturalem repugnantiam cum esse quod destruitur: hæc autem repugnantia naturalis esse non potest, nisi in ordine ad idem commune subiectum, quod maneat sub vtroque termino, quia inter res per se subsistentes, & nullum habentes ordinem ad subiectum, non potest esse naturalis repugnantia, ob quam in rerum natura simul esse non possint: ergo necesse est vt talis actio fiat ex præsupposito. Et hinc est vt propria annihilatio fieri non possit à Deo per positiuam actionem, quia annihilatio nihil rei relinquit quod possit esse subiectum actionis. Item, quia vel actio fit in subiecto, & sic non destruit illud, & consequenter non efficit annihilationem; vel fit sine subiecto, & sic nihil per illam fieri potest quod repugnet toti esse alterius rei: nihil ergo per talem actionem potest annihilari. Quod si quis obiecit actionem qua fit anima rationalis, non esse ex subiecto: & tamen ad eam sequi corruptionem alterius, nempe embryonis: Respondetur negando minorem, sed proprie illa corruptio sequitur vel ex actione qua sufficienter disponitur materia ad introductionem anime rationalis, vel ex actione, qua ipsa anima vnitur corpori, vel ex vtraque in suo genere, vt infra explicabitur: vtraque autem ex his actionibus est ex præsupposito subiecto, creatio vero solum est ordinem naturæ præsupposita ad actionem vnitiuam: consequens autem naturaliter ad actionem dispositiuam. Difficilius posset quis instare de illa actione qua panis conuertitur in corpus Christi, quæ non

est actio ex præsupposito subiecto, & tamen ex vi illius definit esse substantia panis. Sed hæc difficultas altior est quam vt hoc loco tractari possit: & ideo ad illam excludendam dixi sermonem esse de actione & defitione naturali: illud autem mysterium totum supernaturale est. In eo tamen nihilominus verum existimo, aut ibi non cōsequi defitionem panis ex vi solius actionis Physicæ, & naturalis conexione rerum, vel si aliqua talis actio ibi interueniat, illam versari aliquo modo circa subiectum, & quantitatem panis sine substantia conferuatam, vicem talis subiecti subire, vt latius in proprio loco disputaui.

Tertio infero, quotiescunque corruptio aut defectio fit per positiuam actionem, interuenire ibi vnā simplicem actionem, duas autē parciales mutationes, positiuam vnā, alteram priuatiuam. Tribus enim modis contingit aliquid mutari, vt Aristoteles proponit in quinto Physicorum. Primo ex aliqua forma in carentiam eius: & tunc fit mutatio, nulla vero interuenit actio, per se loquendo, vt dictum est, sed carentia actionis conferuatue. Secundo fit mutatio ex pura priuatione in formam, vt ex tenebroso in lucidum, tunc sicut vna interuenit actio, ita etiam vna simplex mutatio positiua. Tertio contingit aliquid mutari ex vna forma in aliam, vt cum ex calido fit frigidum, & ex ligno ignis. Et tunc vna simplex interuenit actio, qua educitur, vel vnitur forma, quæ de nouo introducit in tali subiecto: nam ad expellendam aliam nulla alia actio necessaria est, vt diximus: mutatio vero duplex fit: nam subiectum illud duplici titulo aliter se habet, scilicet & carendo forma quam antea habebat, & eam habendo quam antea non habebat. Quæ duæ mutationes adeo distinctæ sunt, vt re ipsa interdum separentur, vt in primis duobus membris declaratum est. Item vna est generatio, altera est corruptio substantialis vel accidentalis, vel interdum vna est intensio, & altera remissio. Denique vna est positiua, altera priuatiua. Vnde, quantum inter se differunt vnus formæ informatio, & alterius priuatio, tantum inter se differunt illæ mutationes. Possunt autem illæ mutationes parciales dici, quia physico modo componunt vnum integrum transitum ab vno termino positiuo in alium, qui in Philosophia appellatur conuersio vnus rei in aliam: Dices, sicut interuenit ibi mutatio positiua & priuatiua, ita interuenit actio positiua, & carentia actionis qua opposita forma conferuabatur, vel à causis naturalibus, vel saltem à Deo: alterum enim horum semper necessarium est: ergo est eadem ratio de actione & mutatione. Respondetur, solum esse discrimen quod ratio mutationis saluatur in noua priuatione quatenus est in fieri: ratio vero actionis minime, sed requirit positium influxum: quod ex eorum definitionibus, & essentialibus rationibus constat.

Quarto inferetur, corruptionem, quæ per aliquam efficientiam fit, per eadem principia, siue principalia, siue instrumentalia, & cum eisdem conditionibus fieri, quibus fit generatio vel productio, ad quam talis corruptio sequitur. Probatur ex dictis, quia non est alia efficientia neque alia actio, ad corruptionem, quam ad productionem: ergo eadem principia quibus fit vnum esse, tollitur aliud. Nec potest aliquod principium positiue concurrere ad tollendum esse, nisi quatenus concurrat ad dandum aliud esse. Ex quo in superioribus dicebamus contra nonnullos modernos, formam in passo introductam ab agente, non concurrere effectiue ad expellendam oppositam formam, vt calorem ad expellendam frigiditatem, & sic de aliis, quia forma introducta in passo non est principium efficiens suæ generationis: ergo nec corruptionis oppositæ formæ. Item, quia si illa efficientia est positiua, aliquid positi-

VIII.
Mutatio (et
similis)

IX.

positivum per eam fit: sed forma introducta in passivum positivum nil efficit, quo expellat aliam formam: sed immediate sequitur expulsio alterius formæ: ergo.

X. Vnde non est simile, quod adduci solet de vno corpore expellente aliud ab eodem loco: quod effectivè videtur illud expellere: quanquam enim Scorus in quarto, distinctione duodecima, questione tertia, hoc etiam negare videatur, re tamen vera non est similis causa. Nam duo corpora sese contingunt, & vnum pellit aliud: & quod expellitur, non amittit locum per meram defitionem, sed per realem mutationem & tendentiam in alium locum, ad quem effectivè movetur ab expellente corpore: & ideo non solum ibi interuenit impossibilitas formalis illorum corporum in eodem spacio, sed etiam specialis actio positiua, qua corpus ab vno loco pulsatum, in alium transfertur, quæ distincta est ab ea qua aliud corpus in locum alterius introducit. Secus vero est, quando forma introducta in vno subiecto expellit aliam, nam illa quæ expellitur, non mutatur positivè, sed mere privative desinit esse: & ideo non potest ibi specialis efficientia interuenire. Est ergo ibi sola expulsio formalis, & in vniuersum quælibet causa in suo genere ita concurret ad non esse vnius termini, sicut concurret ad esse alterius: quia ergo calor introductus in subiecto, non calefacit illud actiue, sed formaliter tantum, ideo non expellit frigus actiue, sed formaliter tantum. Secus vero est de calore, qui est in generante: ille enim est principium efficiens alium calorem, & consequenter expellens oppositum frigus. Atque eadem proportionem calor productus in ligno (& idem est de omni simili dispositione) licet accidentalem formam directe oppositam excludat tantum formaliter, substantiam vero ipsam corrumpit dispositiue: quia hoc modo causat introductionem oppositæ formæ: & ut dictum est, in eo genere causæ vna forma concurret ad non esse vnius termini, in quo concurret ad esse oppositi termini. Vnde, quia accidens ex propria ratione & virtute sua habet disponere ad formam substantialem sibi connaturalem, & formaliter expellere contrariam dispositionem: ideo dici potest in hoc genere propria vi corrumpere substantiam. Quod si accidentia illa, & dispositiones passivæ effectivè etiam concurrunt ad educationem suæ formæ, eodem efficientiæ genere concurrunt ad corruptionem alterius: vel si ad illud prius non habent efficientiam, neque etiam ad hoc posterius. Atque ita in vniuersum verum est, illa tantum esse principia efficientia corruptionem, quæ efficiunt generationem, quando corruptio per efficientiam fit, nam quando accidit per solam carentiam efficientiæ, non indiget proprio principio agendi, sed solum necesse est, ut illud, quod erat principium agendi vel conservandi rem, ab agendo cesset.

DISPUTATIO XIX.

De causis necessario, & libere seu contingenter agentibus: ubi etiam de Fato, Fortuna, & Casu.



Ræter omnia, quæ de causis efficientibus creatis in superiori disputatione dicta sunt, superest disputandum de modo agendi talium causarum: quod in hanc disputationem referuimus, quia peculiarem habet difficultatem, & quia ex eo pendet celebris illa distinctio de effectibus necessariis, & contingentibus, & plurium causarum cognitio. Dicemus ergo in primis de causis necessario agentibus, deinde de liberis, ac tandem de

contingentibus: ex quibus constabit, quid sint in naturalibus causis, *Fatum, fortuna, Casus.*

SECTIO I.

Primum in causis efficientibus creatis sint aliqua necessario agentes, & qualis sit illa necessitas.



Hæc questio est facilis, & ideo breuiter dicendum est primo, dari in causis creatis plures, quæ necessario operantur, si omnia, quibus ad operandum indigent, adhibeantur. Hoc constat experientia, & inductione facili: nam Sol necessario illuminat, ignis calefacit, & sic de aliis. Ratio autem sumenda est ex intrinseca conditione & determinatione naturæ, ut in sequente assertionem declarabimus. Additur vero illa conditio, si omnia necessario, quia supponenda est causa sufficiens, & proximè apta, & cum omnibus conditionibus ad agendum requisitis. Nam, si aliquid horum deficiat, non sequetur actio, non quidem ex indifferentia vel indeterminacione causæ, sed ex defectu alicuius conditionis, vel ex defectu virtutis, aut conditionis necessario ad operandum. Inter hæc autem necessaria ad agendum non debet numerari ipsa actio, ut per se notum est, quia aliàs nihil speciale de his agentibus diceretur, sed id quod commune est omnibus, non solum agentibus, sed etiam rebus, nimirum, si habeant formam, quia in tali esse seu ratione constituntur, necessario fieri consequens, ut sint tales. Sicut enim, si albedinem quis habet, necessario est albus, ita si actionem exercet, necessario efficit, quæ est tantum necessitas consequentiæ (ut aiunt) seu conditionata, non consequentis, seu absoluta, quæ est impertinens ad propositum, quia in ea non possunt causæ distinguere. Vt ergo sit sermo de vera ac propria necessitate, non est includenda ipsa actio, cum dicitur causa necessario agere, si omnia requisita adhibeantur. Ex quo à fortiori sequitur non debere etiam in his annumerari, quidquid est posterius actioni, & ad illam consequens, ut per se clarum est; imo, proprie loquendo, quod est huiusmodi, non potest dici necessarium ad actionem, sed potius necessarium ex actione.

Igitur sub ea conditione includi debent omnia, & sola illa, quæ sunt præuia ad actionem. Hæc autem plura numerantur ab authoribus, ut videre licet apud Scotum in 9. Metaph. quest. 14. ad secundum, Antonium Andream quest. 1. ad secundum, Zimarum theorem. 112. qui sex ponunt condiciones. Prima est, ut causa habeat integram ac sufficientem virtutem agendi: quæ est per se nota, quia actio supponere debet potentiam sufficientem, & ut necessario agat, supponi debet simpliciter, & absolute potens: at non est absolute potens sine potentia sufficiente. Secunda, ut habeat passum capax, & sufficienter approximatum, quia agentia creata nihil possunt agere nisi ex præsupposito subiecto, & quia sunt finita, requirunt illud intra proportionatam sphaeram, extra quam non habent vim agendi. Tertia, quæ tunc hinc sequitur est, ut medium, si quod interiectum est inter agens & passum, sit expeditum, & capax actionis agentis, supponimus enim agentia nihil posse efficere in distans nisi per medium. Quarta, ut nihil sit impediens actionem æqualis virtutis ad resistendum: quia nihil potest vincere agendo, nisi in virtute actiua excedat, & ideo supra ostensum est ad actionem necessariam esse proportionem maiorem inæqualitatis. Quinta ut passum non sit iam in termino, seu habeat totam formam quam agens potest efficere. Propter hanc enim solam causam gravitas non mouet terram existentem in centro: & con-